



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 19. Epistola Omuræ Principis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI. *Aratus magna cum submissione exhibere illi*
A. C. 1585. *obedientiam, & post pedum oscula beatorum, eosmet meo capiti superimponere: sed quoniam variis rebus impedito id mihi non licet, mitto cum eodem P. Visitatore patruelem meum D. Michaellem, ut pro me hoc munere pietatis, officiique fungatur. Ex eo ipso mea vota, & alia cognoscet Vestra Sanctitas, ac proinde non ero fusior, quam ego ex animo sincero, & humili venerandus adoro. Die octava Januarii anno post Christi adventum millesimo quingentesimo octuagesimo secundo. Subscriptio: Sanctitatis vestræ substernitur calceis D. Protasius.*

§. XIX.

Epistola Omuræ Principis.

Denique Omuræ Princeps, qui ob adoptatam Christi fidem toto ferme Principatu pulsus incredibili animi fortitudine constantissime in suscepta Religione vera perseverabat, ac postea Dei auxilio cunctas sibi ereptas ditio- nes recuperabat, hunc in modum epistolam suam inscripsit: *Sublatis manibus adorans offero hæc Sanctissimo Domino Papæ Magni Dei vices gerenti. Porro hæc erat epistolæ series: Vereor, ne crimen audaciæ subeam: attamen cum Regis Cælorum gratia rudem hanc Epistolam offero Sanctitati vestræ, quæ cum in terris locum obtineat*

obteneat Dei, ac simul ex ipsius doctrina, **Sæcul. XVI.**
 & Magisterio Christianus populus pendeat **A.C. 1585.**
 universus, æquum sane fuerat memet ma-
 ria transmittere, ipsumque ad vestram Sancti-
 tatem invisendam venire, sacrosque ejus pe-
 des post pia illorum oscula super meum
 caput imponere: sed quo minus hoc fungar
 officio, multæ me hoc tempore prohibent
 causæ. Nuper ad hæc tam remota loca
 lustranda P. Visitator e Societate Jesu con-
 tendit, multisque rebus pie, ac laudabiliter
 institutis, jam nunc redit in patriam: qua
 ego tam præclara occasione invitatus, deesse
 nolui, quin fratris mei filium D. Michaelem
 cum eo mitterem isthuc: qui licet muneri
 tanto sit impar, tamen gratissimum erit
 mihi, si eum vestra Sanctitas ad beatorum
 pedum oscula admiserit: interea vestram
 Sanctitatem supplex oro, obtestorque, ut
 mei memoriam conservare, meque, & Ja-
 ponios hosce Christianos fovere dignetur,
 Id unum in votis est mihi. Reliqua ex P. Vi-
 sitatore, & ipso D. Michaele coram cogno-
 scet Sanctitas vestra, quam ex animo ado-
 rans, cum timore scripsi. Die vigesima
 septima (*) Januarii anno post Domini
 adventum millesimo quingentesimo octuagesi-
 mo secundo.

Huic

(*) In ipsa hac epistola apud Pagium le-
 gitur vigesima octava.

Sæcul. XVI. Huic epistolæ finem imposuit
 A.C. 1585 hac subscriptione: *Ego Bartholo-*
mæus, facie in terram projecta ad sacros
pedes provolutus. Ceterum fertur, ()*
 quod tunc, dum hæ literæ prælege-
 bantur, præter Cardinales ipse Gre-
 gorius summus Pontifex, hocce Lega-
 tos amplexu veneratus, cum sancto
 sene Simeone exclamaverit: *nunc di-*
mittis Domine servum tuum in pace &c.

§. XX.

Gregorii XIII. Papæ obitus.

Ciac. l. c. **E**nimvero benignum Numen brevi pil
Vittorel. l. c. hujus Pontificis vota exaudiebat;
Sacchin. hist. quippe die septima Aprilis, in quam
Soc. p. 5. dies Dominica inciderat, seorsim per-
l. 5. p. 228. acta re divina, cum insuper solemnî
 Missæ Sacrificio in Sacello sancti Sixti
 interesse vellet, atque altera die Pur-
 puratorum Senatam haberet, ibidem-
 que Signaturæ diem ad nonam Aprilis
 indiceret, paulo tardius feria quarta
 decima ejusdem Mensis die e lecto sur-
 gebat, atque unacum sancti Sixti Car-
 dinale, & Jacobo Boncompagno Nepo-
 tibus suis aliquamdiu in suo cubili de-
 ambulabat, cumque jentaculum sine
 cibi

(*) Id narratur a Muccantio, qui tum præ-
 sens omnia ipse viderat: idem etiam testatur
 Stephanus Tuccius in funebri illius oratione.